19

FIDES THEOLOGORUM BELGARUM ASSERTA ADVERSUS MENDACIUM NOVUM QUOD NUPER IPSIS IMPEGIT M. STEYAERT V. A. ACCUSATOR FRATRUM SUORUM ANTIQUUS.

Scripti hujus Materies.

MIratur indignans Belgium, quod vir tot calumniis antiquis & novis infamis, calumniâ novissimâ *Mendacium novum* affingere non erubescat Belgis Theologis, quorum hactenus fides & integritas Urbi & Orbi probata est. Quid? Adeóne putat se posse mundo illudere, ut *Mendacium* impudenter clamando omnem calumniarum suarum memoriam ex animis hominum subitò deleat, & infamiam, quâ ipse laborat, in alios totam transfundat? Efficiam ego ut omnes intelligant, fidem quidem Theologorum Belgarum *novi* illius *Mendacii* fictione labefactatam non esse; Accusatorem verò antiquum tot olim calumniis ipsum sibi fidem ademisse, ut ab omni deinceps tribunali arcendus sit, & ne ad accusandum quidem amplius admittendus.

 §. I.

§. I.

Fides Theologorum Belgarum adversus mendacium novum asseritur.

I.

Mendacium à M. Steyaert Belgis Theologis impactum.

THeologi Belgæ in *Confutatione* Memorialis Patris Parazol pag. 24. ubi probant Breve Apostolicum datum 6. Februarii 1694. intelligendum esse tam de officiis & muniis *obtinendis*, quàm de *obtentis*, inter cætera argumenta hoc etiam adjiciunt: *Accedit quod cum eandem illam cavillationem in Schola Lovaniensi tractare non desineret Doctor Steyaert; jam pridem silere ex Urbe jussus sit & Breve Apostolicum tam de officiis & beneficiis obtinendis, quàm de obtentis intelligere. Si de hoc dubitet Parazolius; Doctorem Steyaert interroget: non poterit hic factum Belgio notissimum negare.* MENDACIUM hoc esse *omni luce luculentius* clamat Doctor Steyaert: sed more suo eum calumniari ostensum imus.

II.

Ex factis certissimis & toti Belgio notis impacta Mendacii *calumnia refellitur.*

I. CErtum est Doctorem Steyaert sæpius in Schola Theologica Lovaniensi contendisse, Breve Apostolicum, ubi agit de non repellendis *prætextu Jansenismi ab officiis, muniis &c. nisi qui servato juris ordine eam pœnam commeruisse probati fuerint*, intelligi debere de officiis jam *obtentis*, non verò de *obtinendis*.

2. Certum est etiam Alium quemdam, cui Doctor Steyaert in hac causa conjunctissimus est, tum verbo tum scripto idem contendisse & declarasse in Urbe.

3. Certum est præterea atque in Urbe & Orbe notorium, Extraordinariam super hac quæstione Eminentissimorum Cardinalium Congregationem indictam fuisse. 4.

4. Ac tandem per famam publicam ex litteris die 28. Julii 1696. Româ ad præcipuas quasque Belgii civitates missis, ubique divulgatum fuisse, quod Congregatio illa Extraordinaria declarasset, Breve Apostolicum ad Episcopos Belgii 6. Februarii 1694. datum per omnia observandum esse; neque tantùm cum promotis ad Ordines sacros, beneficia, aliaque munia Ecclesiastica, sed etiam cum promovendis procedendum esse servato juris ordine. Et plura quidem requiri, ut expellantur promoti, quàm ut repellantur promovendi; sed & circa hos à jure provisum esse: nimirum, ut si ob suspiciones repellendi sint, non repellantur nisi ex suspicionibus juridicis, & cum quadam promovendorum infamia publicis. Quod postremum etiam in ipso Brevi Apostolico non obscurè expressum est hisce verbis: *Nisi priùs suspectum esse* LEGITIME *constiterit* &c. Equidem, *legitimè*, *juridicè*, *servato juris ordine* &c. in jure synonima esse, nemo ignorat.

5. Post famam illam in Belgio vulgatam observatum est Lovanii, obmutuisse in scholis Theologicis Doctorem Steyaert, nec amplius suam illam Brevis Apostolici interpretationem jactasse: nullo dubitante, quin ipsi imprimis innotuisset, quod de Declaratione ista Congregationis Extraordinariæ fama ex Urbe vulgaverat.

6. Hæc facta tunc in Academia, ipsoque adeo Belgio fuêre notissima.

7. Ut omninò intelligi non possit, quâ fronte à Doctore Steyaert *mendacii* arguantur Belgæ Theologi, qui dixerint, *Illum jam pridem silere ex Urbe jussum esse, nec posse hoc factum Belgio notissimum negare.*

At ne quem moveant gravissimæ protestationes, quas ipse ait *ad ostensionem hujus luculenti* (ut pro sua modestia iterum repetit) *mendacii sufficere,* eas nos non nisi ad ostendendam protestantis temeritatem valere probabimus.

III.

III.

Protestationes Accusatoris non Theologorum Belgarum mendacium, sed protestantis temeritatem ostendunt.

I. *Coram Deo*, inquit, *protestor, me neque ex Urbe, neque aliunde, umquam jussum esse silere super re aliqua hanc materiam repulsæ attingente.*

R. Aliud sine perjurio jurare non potest, quàm non meminisse se quod aut silere jussus sit, aut aliqua ipsi jussio insinuatâ fuerit.

At hoc, ut verum foret, minimè sufficit ad ostendendum mentitos esse Belgas Theologos, qui eum ex Urbe silere jussum esse affirmant. Si enim jusserit Congregatio Extraordinaria, ut Breve Apostolicum aliter, quàm volebat ipse, intelligeretur; profectò ex Urbe silere jussus est: etsi non tantùm non meminerit eam jussionem sibi insinuatam fuisse, sed nec umquam ei insinuata fuisset. Utamur exemplo ad hominem.

Sanctissimus Dominus Innocentius XII. edito 28. Januarii 1694. Decreto, *perpetuum silentium* super sensu Formularii & quinque propositionum imposuit. Nunc pone Decretum istud non innotuisse Doctori Steyaert: An ideo mentietur, qui Doctorem Steyaert super sensu quinque propositionum & Formularii silere ex Urbe jussum esse affirmarit? Aut ad eum de mendacio convincendum sufficiet, quod Doctor Steyaert coram Deo protestetur se neque ex Urbe, neque aliundè, umquam jussum esse silere super re aliqua sensum Formularii & quinque propositionum attingente?

Atque ut hoc exemplum prosequamur: Pone Doctori Steyaert non innotuisse Decretum quo Sua Sanctitas die 7. Septembris 1695. condemnavit Thesim ipsius quam defendit Lovanii die 25. Junii ejusdem anni, idque ob *contraventionem silentii à Sanctissimo impositi*, ut in ipso Decreto exprimitur: An idcircò mentietur qui Doctorem Steyaert ex Urbe silere jussum esse affirmârit? Pro-

Protestetur coram Deo, quantùm voluerit, se neque ex Urbe neque aliundè umquam jussum esse silere super re ejusmodi; numquam tamen efficiet ut falsum sit (nedum mendacium) silere eum jussum fuisse.

Et quid si Summus Pontifex eum corripi juberet, quod ne silentium quidem servaret, etiam postquam ex Urbe Decreto speciali silere jussus fuisset: diceretne, si Decretum istud sibi non innotuisset, mentiri Summum Pontificem? Aut crederet ad mendacii illius ostensionem sufficere, coram Deo protestari, se neque ex Urbe, neque aliunde silere jussum esse? Pergit interim protestari.

2. *Tantùm abesse ut hoc factum sit Belgio notissimum, ut ne de eo umquam vel per rumorem aliquid audiverim.*

R. Insignis consequentia! Nihil umquam de facto illo vel per rumorem audii; ergo factum illud non est Belgio notissimum. Fateor tamen mirari me, quod coram Deo protestari id possit: cum certum sit litteras, ea de re ex Urbe scriptas, ad præcipuas quasque Belgii civitates, ut jam dixi, venisse; nec tacuisse id eos, qui litteras acceperant. Quid dicam? Mentitum esse, aut pejerasse? Absit. Quid ergo? Aliud non occurrit, quàm aut ipsi memoriâ excidisse quod à tribus jam circiter annis contigit; aut neminem ei ausum fuisse quidquam de eo significare. Quamquam rursus, si nihil ipsi significatum fuerit, non intelligam, cur post illud tempus ita de sua illa Brevis Apostolici interpretatione siluerit, qui toties illam antea in Scholis Theologicis jactabat. Audiamus porrò protestantem.

3. *Si de contrario*, inquit, *saltem probabiliter convinci potuero, tum velle me infamem & omni fide indignum haberi.*

℟. Placet.

4. *Si verò non potuero; tum petere me, ut tamquam mendaces audacissimi & omni in posterum fide indigni habeantur Belgæ Theologi* &c.

℟. Convinci eum posse quod ex Urbe silere jussus sit, patet ex dictis: An jussio ipsi innotuerit, ipse diligenter expendat.

Quod autem petit, *ut si convinci non potuerit, tamquam mendaces audacissimi & omni imposterum fide indigni habeantur Belgæ Theologi*, tunc tandem illi concedetur, cùm ipse vicissim concesserit, se tamquam mendacem audacissimum & omni in posterum fide indignum habendum esse, si de Jansenismo aut Rigorismo convincere non possit Belgas Theologos, quos ut Jansenistas aut Rigoristas accusat. Nescio enim cur ipsi hic aliquid præ Belgis Theologis indulgendum sit. Quod si ipse non concesserit; profectò nec mendaces audacissimi & omni in posterum fide indigni habendi erunt Belgæ Theologi, etsi illum de eo quod asserunt, non convicerint. Convincere tamen posse, jam dixi: ubi contrà certum est, convinci ab eo de Jansenismo aut Rigorismo non posse quemquam è Belgis Theologis.

Quid plura? Scire debebat homo dialecticus minimè sequi: Belgæ Theologi affirmant Doctorem Steyaert silere jussum esse ex Urbe; igitur mendaces audacissimi sunt & omni in posterum fide indigni, si ipsum non potuerint de hoc facto convincere.

Nil hic dico de professione, quam subjungit circa Breve Apostolicum: dixit de ea sat multa *Confutatio* Memorialis Palazolii pag. 24. & seqq. Judicabit SS. D. N. Innocentius XII. an professio ista menti Apostolicæ conformis sit. Nos interim fide Theologorum Belgarum assertâ, fide omni indignum esse Accusatorem ostensum pergimus; non calumniandi animo, sed justæ defensionis necessitate: utpote qui famam tueri non possimus, nisi fide indignum ostenderimus eum qui tam iniquè illam proscindit. Porrò fide indignus probari non potest; nisi (quod invitos facere nos cogit) aliquot fidei illius specimina proferamus.

§. 2.

§. 2.

Fidei Stejartianæ Specimina.

SPECIMEN I.

Stejartii à Matre sua Academia & à genuinis Matris suæ Filiis defectio & Apostasia.

UNanimes erant Theologi Lovavienses, & omnes sine discrimine Jansenistæ, Rigoristæ, & Novatores ab æmulis exteris vocabantur Anno 1677. cùm tres ex illis, VAN VIANE, LUPUS, & STEYAERT pro tuenda Matris suæ doctrina & fama, adversus laxitates & Academicorum obtrectatores in Urbem deputati, post annos circiter duos, Doctrinâ Lovaniensium illæsâ, condemnationem Propositionum 65. ab Innocentio XI. Pont. Max. obtinuerunt.

Redux ab Urbe Doctor Steyaert, sed ad ea, quæ speraverat, ab Academicis non promotus, anno 1682. palam in Oratione quadam Quodlibetica cum indignatione questus est, *Nulli bono suo* fuisse Iter Romanum, & pro mercede redeunti sibi à Lovaniensibus dictum fuisse: *I, servi Diis alienis.*

Ivit, & utinam Diis alienis servitum non ivisset! Nam ex hoc à Lovaniensibus alienior, in *Theologia* sua *emendata*, quam Ipris edidit anno 1685. ita de Lovaniensibus loqui cœpit: *Quorum doctrinam si quandoque æstimamus, non magis tamen præstamus quàm Alcoranum.*

Verùm Ipræ angustiores erant & minus aptæ, quàm ut illic istud, *I servi Diis alienis*, ulcisceretur. Lovanium, vel invitis Academicis, redeundum erat. Hinc cum à Facultate strictiore Theologica unà cum Doctoribus *Huygens*, *Lacman*, *Pasmans* & *Hennebel* exclusus esset; viam sibi ad illam nescio quâ viâ apud Potestates aperuit.

Apertâ viâ, & jam ad Academiam rediturus: *Je vaincrai*, inquiebat, *où je creverai*; *Dominabor aut disrumpar*

Vix

Vix redierat, cum in convivio quodam, nescio quid in ipsum canentibus aliis, in hæc verba erupit: *Canant, canant ... dies venient, quibus dicent: utinam adhuc viveret D. Du Bois ... Levia sunt quæ ille fecit, addam ego duriora. Minimus digitus meus grossior est dorso ejus, ille vos cæcidit flagellis, ego vos cædam scorpionibus.*

Horrenda præsagia! sed minimè vana, ut subjuncta specimina docebunt.

SPECIMEN II.

Dogmata circiter quadraginta à Stejartio conficta, & Academicis Lovaniensibus falsò afficta.

SCorpiones minatus erat parturiens Stejartius; scorpiones uno partu edidit simul quadraginta, quos infelix Pater Doctori Huygens, ejusque adhærentibus & Confæderatis impio ausu supponere tentavit hâc plenâ calumniæ Attestatione.

Infrascripti Sacræ Theologiæ Facultatis Lovanii Doctores & Professores Regentes attestantur, se ex iis, quæ in hac Universitate observant, quotidie magis & magis percipere supra posita dogmata, quà clam quà palam serpere, & circumferri, tradi & inculcari apud Scholæ Theologicæ Lovaniensis alumnos, auctore Gummaro Huygens aliisque illi adhærentibus & confœderatis, non sine ingenti periculo infectionis non solùm dictæ Scholæ, sed etiam Belgii totius, per quod dicti alumni sparguntur. Datum Lovanii in vigilia S. Martini 1690.

P. F. MARTINUS HARNEY.
MARTINUS STEYAERT.

Dogmata illa hic non exhibeo, cum in omnium manibus versentur, & jam dudum ostensum sit in *Responsione ad Articulos* 42. in *Refutatione Synopseos*, & *Quæstionibus variis*, ea per summam calumniam Doctori Huygens aliisque affingi: Orbe interim & Urbe frustra expectante ut famam Virorum, quos gravissimè læsit, aliquando restituat Stejartius.

SPE-

SpECIMEN III.

Falsa Stejartii Accusatio adversus RR. Patres Oratorii Montensis.

INter *Adhærentes & Confœderatos* Doctoris Huygens non postremo loco Reverendos Patres Oratores recensebat Stejartius : utpotè qui fideles semper in Belgio Academiæ Lovaniensis Discipuli fuerint. Hos itaque aggredi oportebat. Opportunitatem obtulit Illustrissimus Archi-Episcopus Cameracensis, qui examinandam illi commisit causam RR. Patrum Oratorii Montensis, qui tamquam multorum in Doctrina & praxi excessuum rei accusabantur.

Auditis contra illos testibus omnibus,quos adversarii audiri voluerant,ipse Stejartius fateri coactus est nil contra eos allatum, unde *certò Rei haberi deberent*, ut scribit in *Epistola* ad Archi-Episcopum Cameracensem datâ die 10. Julii 1690. Proinde eos absolvere debebat. Sed mox, qui Judex fuerat, in eadem Epistola Accusatoris partes assumit, reos illos agens.

1. *Quòd sequerentur doctrinam & praxim quorumdam, qui hodie in Belgio & Galliis Jansenistarum vel Rigoristarum nomine vulgò audiunt.*

2. *Quod se à communi Religiosorum, præsertim Mendicantium, necnon aliorum, qui antehac rexerant, Sacerdotum spiritu, agendique ac regendi modo segregarent.*

3. *Quod pleraque omnia ad majorem austeritatem inflecterent.*

4. *Quod mortem Christi pro omnibus non satis ad omnes omnino extenderent.*

5. *Quod circa condemnationem 5. Propositionum non satis se explicare auderent.*

6. *Quod circa cultum B. Virginis saltem obloquiis darent materiam, fortè per modum loquendi non satis circumspectum.*

7. *Quod passim à Pœnitentibus exigerent, ut complicem peccati carnis, præsertim Ecclesiasticum, confessario revelarent, veniamque darent eum Superiori denuntiandi &c.*

Hasce Accusationes & similes Illmus Archi-Episcopus Cameracensis binis Decretis, altero 3. Oct. 1690. altero 12. Novembris 1692. editis, declaravit esse *scandalosas*, *diffamatorias*, *calumniosas*, *injuriosas* .... *pietati & Religioni Sacerdotum Oratorii Montensis*, *& variis aliis probis virtuosisque Diœcesis suæ personis* &c.

Post hæc saltem fidem amplius invenire non debuisset apud Ecclesiæ Antistites: invênit tamen, & atrociora etiam molitus est, ut subnexa specimina ostendent.

SPECIMEN IV.

Atroces calumniæ viginti & una, à Doctore Steyaert palam per Epistolam Pastoralem Clero Diœcesis Mechliniensis adscriptæ.

NEmo dubitat, quin Doctore Steyaert non parum conferente, Epistolam suam Pastoralem ediderit Illustrissimus ac Reverendissimus Archi-Episcopus Mechliniensis, qui ipse in ea testatur, se, priusquam ederet, *omnis generis atque ordinis gravissimos Viros*, inter quos imprimis fuerit Doctor Steyaert, consuluisse. In ea continentur gravissimæ adversus Clericos Diœcesis Mechliniensis Calumniæ.

1. *Quod indies minùs & minùs ab Hæreticorum placitis abhorreant.*

2. *Quod de Romani Pontificis auctoritate contemptiùs & sentiant & loquantur.*

3. *Quod Ecclesia sui temporis ipsis vilescat.*

4. *Quod disciplinam Ecclesiasticam privatâ auctoritate invertant.*

5. *Quod iisdem armis utantur & iisdem pugnent artibus, quibus Hæreticorum Majores, sed majori cum vafritie.*

6. *Quod Religiosas familias atrocibus calumniis incessant & tantùm non obruant.*

7. *Quod Viros è Clero novitatum Osores & antiquæ disciplinæ retinentes, nihilo excipiant clementiùs.*

8. *Quod susque deque vertant omnia.*

9. *Quod pios fideles à frequenti cibi Eucharistici sumptione deterreant.*

10. *Quod pœnitentes à sacris Tribunalibus repellant tamquam indignos veniâ, & destinatas orco victimas.*

11. *Quod ætatis nostræ Severistæ sint.*

12. *Quod Sanctissimæ Virginis Dei Matris cultum obliquè perstringant.*

13. *Quod Imagines viliori loco habeant.*

14. *Quod peregrinationes voti causâ susceptas tacitè rideant.*

15. *Quod cœtus aut sodalitia in Virginis honorem erecta proscindant.*

16. *Quod item proscindant cultum Sanctorum.*

17. *Adorationem Imaginum.*

18. *Et Reliquiarum.*

19. *Quod sacras Indulgentias flocci faciant, vel Christiani populi justè collocatam in eis fiduciam redarguant.*

20. *Quod non nemo usitata Catholicos inter in Mortuorum solatium Sacrificia obliquo dente arrodere non sit veritus.*

21. *Quod libros ex orco erutos, diaboli armamentaria, venenatos lacus, & putida stagna, flammis dignos, commendent, offerant, obtrudant.*

Hasce calumnias adoptatâ Epistolâ Pastorali suas fecit Doctor Steyaert, solemnique Decreto XI. Kal. Novemb. 1692. per Diœcesem Sylvæ-Ducensem promulgavit, non sine enormi in totum Clerum Diœcesis Mechliniensis injuria. Neque tamen hic stetit: majora dedit suæ fidei specimina.

SPECIMEN V.

Calumniarum Monstra, à Stejartio in Jansenismo omnem Religionem destruente, *approbata.*

Nihil umquam in genere calumniandi editum est monstruosius, quàm *Jansenismus omnem Religionem destruens*, à Sede Apostolica die 7. Decembris 1694 proscriptus: Hujus tamen causam egit aliquando Stejartius apud Facultatem Theologicam Lovaniensem, dicens illum ab

Archi-

Archi-Episcopo Mechliniensi adoptatum esse, in titulos digestum, & Romam missum. Cumque illi ab Arnaldo in scripto, *Procés de Calomnie*, objiceretur, quod se *Jansenismi* Approbatorem profiteretur, numquam id negavit; negaturus tamen, & *Mendacium* Arnaldo, ut Belgis Theologis, impacturus, si negare potuisset. Est autem *Jansenismus* iste plenus calumniarum monstris in DD. *Arnaldum*, *Van Viane*, *Huygenium*, *Hennebellum*. En tibi ex illis pauca.

1. *Quod si ab Atheis & libertinis conducti fuissent, non possent magis callidè fidei nostræ & Ecclesiæ exitium machinari.*

2. *Quod omnem pium affectum erga Deum, in Christum amorem, & studium bonorum operum extinguant.*

3. *Quod omnem in Ecclesia Judicem infallibilem eliminent.*

4. *Quod omnem destruant Hierarchiam Ecclesiasticam.*

5. *Quod venerationem Imaginum ac Sanctorum, etiam Deiparæ cultum convellant*

6. *Quod vilipendant Indulgentias & avertant à Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ.*

7. *Quod odium & calumnias spirent adversus Religiosos.*

8. *Quod criminationes & contumelias adversùs Episcopos & Vicarios Catholicos.*

9. *Quod Religionis interitum machinantes callido consilio autoritatem Regum paulatim suffodiant, ut eversâ tandem omni potestate Ecclesiasticâ & sæculari, sine metu suppliciorum, sine periculo, excussâ omni lege, Libertinorum atque Atheorum principia stabiliant, & pace securi fruantur.*

Super his calumniis Doctorem Steyaert, tamquam earum Approbatorem, convênit Arnaldus, intentatâ ipsi dicâ calumniæ per Libellum cui Titulus, *Procés de calomnie*: Cui cùm pro responso opponeretur *Jansenismus* alter, nec in eo negaretur, quin prioris *Jansenismi* Approbator esset Stejartius; reliquam *Calumniæ Dicam* parte 2. 3. 4. & 5. Stejartio, tamquam qui jam silentio se *Jansenismi* Approbatorem fateretur, intentavit. Verùm ne sic quidem aut se illius Approbatorem negavit; aut ullum umquam, etsi ab Arnaldo gravissimè monitus, pœnitudinis signum dedit;

aut

t famam cujuſquam per tot tamque graves calumnias ·eſam reparavit. Quin & pergit lædere quotidie, ut docebit, quod ſequitur.

SPECIMEN VI.

Stejartii calumnia quotidiana in Lovanienſes Theologos, ipſi non devotos.

EN tibi paucas ex innumeris.

1. *Quod cum Sacramento requirant amorem Dei effectu ſuper omnia & viam ſternant ad ſententiam quæ cum Sacramento requirit amorem juſtificantem.* In Theſi 26. Julii 1695.

2. *Quod requirant, ut peccata mortalia confitentes, opera pœnalia .... diſtincta ab iis, quæ Tridentinum requirit, præmittant, aliàs ad tempus, quouſque illa poſuerint, dimittendi.* In Theſi 28. Junii ejuſdem anni.

3. *Quod in praxim iſtam paradoxam incidant, ſine modo differendi abſolutionem hominibus alioquin non malis.* In Theſi 17. Maii 1696.

4. *Item cogendi omnes primâ vice ad confeſſionem generalem, niſi apud ſuos ſymnyſtas confeſſi fuerint.* ibidem.

5. *Quod ita practicent ſaltem apud homines non magnæ autoritatis.* 26. Julii 1695.

6. *Quod ut exiſtimationem ſibi ſuiſque conſervent, temporius, ut vocant, nubiloſis, potentes abſolvant ea cum diſpoſitione, ·uâcum non idem pauperibus facerent.* 29. Martii 1696.

7. *Quod pro ratione faciliùs abſolvendi habeant, ne ipſi vel ·ars eorum odioſi fiant.* ibid.

8. *Quod ideo diſſimulent etiam in jure naturæ ea quæ aliter lamnarent acerrimè.* ibid.

9. *Quod contendant paſſim malè adminiſtrari Pœnitentiæ Sa·ramentum, prout hodierna præſcribit conſuetudo, ſimul & Ritua·ia.* 17. Maii 1696.

10. *Quod ſummam opinionem habeant de vetere Eccleſia tan·ùm, non de moderna.* 22. Julii 1696.

11. *Quod ſomnient Borromæos ac Saleſios in ſuis libris & Synodis dictaſſe, non quæ judicarent maximè ſalubria, ſed quorum ·orruptos ſæculi mores avidos eſſe crederent.* 17. Maii 1696.

12. *Quod constantem justitiæ Christianæ stabilitatem nescio quam, & tantùm non inamissibilitatem petant & fingant.* ibidem

His & hujusmodi calumniis plenæ esse solent Theses quibus præsidet: Lectiones item ipsius quotidianæ, ad quas cùm sæpe imparatus veniat, cogitur non rarò inopiam suam ex illo suo, quem semper paratum habet, calumniarum, invectivarum & dicteriorum thesauro supplere. Unde vulgatum inter Theologos: "Quadrantem unum, ,, cùm docet, illum impendere lectioni S. Thomæ, Wiggers, ,, Sylvii, aut suorum Aphorismorum; Quadrantem alterum, explicationi; tertium, dicteriis, scommatibus, in- ,, vectivis, aut calumniis in prætensos Jansenistas, Rigo- ,, ristas, Novatores, vel Baianos."

SPECIMEN VII.

Theologi potationi, fumationi tabaci, & chartarum lusui addicti, passim à Stejartio per falsa testimonia ad Sacros Ordines & curam animarum promoti.

IN Decembri Anni 1694 Stejartius in jus vocaverat Opstratium, accusans eum inter cætera quod dixisset, *Theologos addictos potitationi, fumationi tabaci, & lusui chartarum pictarum, facile ab ipso accipere testimonium & promoveri ad SS. Ordines & curam animarum.*

Honori ipsius consulens Opstratius rogabat, ne ad probationem venire cogeretur: habere quidem se in promptu testimonia plurima, quibus id probaret; sed paratum igni tradere omnia, si à lite desisteret Stejartius. Noluit: Testes ut produceret Opstratius, coëgit. Produxit hic testes plures, quàm opus erat; qui juridicè interrogati: *An passim illi, qui excessus istos potitationum, vel fumationum, vel lusuum Chartarum committebant, non acciperent à Dño Stejaert testimonium ad SS. Ordines & promoverentur ad curam Animarum?* Uno ore responderunt, affirmativè.

Interrogati item juridicè: *An scirent, quod ulli illorum umquam propter excessus istos testimonium negasset?* Se non scire responderunt. Itaque

Itaque quot tales promovit (promovit autem plurimos) tot falsa testimonia dedit; neque enim promovetur, qui testimonium de morum suorum probitate non affert.

SPECIMEN VIII.

Stejartii in Theologos præ cæteris modestos, & Officio suo ac pietati addictos persecutio juridicè probata.

IN eadem causa Testes juridicè interrogati sunt: *An non scirent, quod testimonium negasset pluribus aliis, qui ab illis* (potitatione fumatione, & lusu chartarum) *abstinebant?*

Item: *An eos, qui præ cæteris modesti erant & officio suo ac pietati addicti, non specialiter persequeretur?*

Iterum ad utrumque responderunt plures, quàm ad sufficientiam Juris opus erat, *Affirmativè.*

Quæ omnia constant ex Actis juridicis & Authenticis, ex quibus die 22 Augusti 1695. contra Stejartium pro Opstratio sententiam pronuntiavit Rector Magnificus Academiæ Lovaniensis: adeò ut jam probatum sit juridicè, Bonorum Persecutorem esse Stejartium.

SPECIMEN IX.

Alia Persecutionis Stejartianæ in Viros quosque bonos Exempla.

APertè (quidquid dissimulet) Bonis omnibus persecutionem & bellum indixit Stejartius, cum de quadraginta duobus Articulis Doctorem *Huygens* ejusque *Adhærentes & Confœderatos* accusavit. Equidem per *Adhærentes & Confœderatos Doctoris Huygens* non alios in Belgio designari, quàm Theologos præ cæteris probitate vitæ ac morum, pietate & zelo conspicuos, omnes fatentur: Qui autem doctrinæ aut vitæ dissolutioris sunt, hi passim Adhærentes & Confœderati Doctoris Steyaert vocantur.

Porrò inter Adhærentes & confœderatos, ut vocat, Doctoris Huygens, neminem acerbiùs persequitur, quàm Opstratium: tum quod is præcipuè calumnias ipsius detegat ac retundat; tum quod doctrinæ ipsius novæ & laxiori se intrepidè opponat.

In

In hunc itaque atrocissima quæque & invidiosissima confinxit, tum in Urbe per Deputatum nuper suum Desirantium, tum in Belgio per seipsum. In Urbe, istud atrox finxit sive ipse sive Deputatus ipsius: "Doceri ab Opstratio, „ *Episcopum, dum promovet Clericos, consulere debere horum Con-* „ *fessarios*, qui nimirum usi scientiâ ex Confessione hausta, „ optimè possint Episcopum de ipsorum vita, moribus, & „ spiritu interiore instruere:" Et ne quis suspicaretur calumniam, locum designabat in Præfatione Pastoris boni. Sed hâc inspectâ, locum corrupisse deprehensus est, & de calumnia convictus. A calumnia tamen non destitit; sed multò etiam atrociora dictuque horrenda, ut illum nuper à Gradu Doctorali impediret, effinxit. Verùm & hæc confutata sunt coram Facultate Theologica Lovaniensi; quæ, audito super singulis Opstratio, & sibi factum esse satis declaravit, & ad Disputationes pro Magisterio illum admisit. Unum nunc exspectatur, ut viâ juris, quam claudi fecit Stejartius, apertâ, detur aliquando Opstratio suum coram Judice legitimo calumniatorem convenire, atque ad probandas vel recantandas calumnias illum compellere.

Quid non machinatus est in Doctores Claes & Verschuren, ut eos similiter à Gradu Doctorali impediret?

Quid non in alterum Verschuren piæ memoriæ Decanum Gelensem, Virum Doctrinâ, pietate, & moribus eximium, ut eum à Decanatu repelleret?

Quàm iniquè vexavit & vexat etiamnum plures Diœcesis Sylvæ-Ducensis Clericos, doctrinâ & moribus præstantes; qui aut ad alienam Diœcesim transire coguntur, aut non nisi post multas difficultates ad SS. Ordines vel ad Curam Animarum ab ipso admittuntur?

Quàm dirè exagitat optimos quosque in Academia Lovaniensi Theologos, quos à Disputationibus & Gradibus Academicis omni viâ excludere conatur?

Tandem quis in Academia bonus est, aut ipsi non planè servus, qui ipsius Tyrannidem non sentiat? Uno id exemplo demonstrare liceat.

Vir

Vir omnium judicio non modò doctus est, sed & bonus, rectus, ac timens Deum Doctor Renardi; minimè servus Stejartio. Hinc ipsum à Facultate strictiore Theologica jam dudum excludere molitus fuit, præferendo illi Doctorem Marcelis. Sed re in Urbem delatâ, pro Doctore Renardi pronuntiavit Sedes Apostolica. Sententiam non reveritus Stejartius, recusavit cum illo Congregationi Facultatis, aut ulli Actui interesse, quo videri posset illum tamquam Facultatis membrum agnoscere, inimicitias publicas cum totius Academiæ scandalo exercens. Quin dixit illi aliquando: *Non habebis partem mecum in æternum.* Et fortè in hunc usque diem partem cum illo habere nollet, nisi videns absentiam suam nulli obesse quàm sibi, aliis prodesse plurimùm, consilium mutasset. An mutaverit animum, quæ sequuntur docebunt.

Die 26. Maii 1699. per mortem Doctoris Sullivane vacavit in Academia Lovaniensi Lectio Catechistica cum annexo Canonicatu S. Petri. Ad hanc Electorali Suæ Celsitudini obtulit se Doctor Renardi, publico omnium testimonio sine controversia dignissimus. Obtulêre & se Licentiati quidam Doctori Steyaert addicti. Libellos se offerentium ad judicium Facultatis strictioris Theologicæ pro more remisit Sua Celsitudo. Erant paulò antè in Facultatem intrusi Doctores Desirant & Damen Stejartio devotissimi: Cum his, juncto etiam Harnæo, censuit Doctorem Renardi Licentiatis istis non postponendum solùm, sed etiam tamquam indignum excludendum. Stupuit Academia & Belgium ad judicium tam iniquum: ideoque & Serenissimus Elector, eo spreto, Lectionem Catechisticam Doctori Renardi contulit. Res innotuit Doctori Steyaert, qui confictis mox in Doctorem Renardi plusquam centum, ut fertur, accusationibus, per Doctorem Martin supplicavit Suæ Celsitudini, ut vel non expedirentur collationis Litteræ, vel si expeditæ forent, interdiceretur Capitulo S. Petri Doctorem Renardi in possessionem mittere. Territa tot accusationibus Sua Cel-

ſitudo, cùm jam Litteræ expeditæ forent, Capitulo interdixit. Quin & Lectionem in alterum propediem collatum iri, Stejartiani gloriantur.

Atque hæc dum agit, palam etiam iis, quos perſequitur, inſultat. Nam ipſo die, quo interdictum inſinuatum fuerat, ita in lectione ſua publica gloriatus eſt: "Conque-
„ rebantur olim Donatiſtæ de Auguſtino aliiſque Epiſcopis
„ Catholicis, quod ab Imperatoribus impetrarent interdi-
„ cta, quibus ab officiis & dignitatibus excludebantur;
„ quemadmodum & hodie conqueruntur aliqui de nobis:
„ ſed non quærimus quæ ipſorum ſunt; quærimus ipſos.
„ Ego ad exiguitatem meam redire paratus ſum, & omnia
„ dimittere, modò ad unitatem redeant. Habeo ad benè
„ ornandum & onerandum tres vel quatuor ex illis."

Ita homo ſchiſmaticus, qui Matris ſuæ Academiæ viſcera dilaniat, comparat ſe Auguſtino; eos verò, à quibus ſe diviſit, Donatiſtis, quos etiam audet ad unitatem ſecum, hoc eſt ad ſchiſma invitare. Porrò quàm paratus ſit ad exiguitatem ſuam redire, oſtendent ſpecimina ſequentia. Hoc verè dixit, habere ſe, undè benè ornentur & onerentur tres vel quatuor è Belgis Theologis. Infelix! qui ſe ornatum putat, oneratum non ſentit, gaudens honore, non ingemiſcens ſub onere!

SPECIMEN X.

Stejartius ſuper exceſſibus ſuis à Rectore Magnifico monitus, & monita ſuperbè contemnens, dein ab Officio Fiſcali impetitus, & ſuâ manu cautionem de cavendis exceſſibus ſcribens, fidem paulò poſt frangit.

CUm anno 1695. Kal. Martii in Lectione publica varios exceſſus commiſiſſet, monuit eum ſuper his Rector Academicus, miſſoque Bedello *rogabat, & in quantum opus mandabat... ut deinceps modeſtiùs ageret ſignanter in ſuis Lectionibus publicis.* Reſpondit, *numquam ſe proceſſiſſe minùs modeſtè quàm debeat, & intendere procedere eodem modo.* Cùmque

que privatis monitis non obtemperaret, aggressus est eum Academiæ Fiscalis, qui oblato libello exhibebat, *Jam ab annis aliquot Academiam turbatam fuisse à Doctore Steyaert; excessus enormes ab ipso quotidie in Lectione publica committi; novos illum excessus adhuc minari, rebellem esse adversùs mandata Rectoris* &c. ideoque supplicare se *ut publicè ei docere interdiceretur*. Interdictum est, *donec sufficienter cavisset de obediendo anteriori Rectoris mandato*. Hoc interdicto velut fulmine ictus Doctor, paulò antè tam intrepidus, ad Rectorem supplex venit quid factum ab ipso velit, rogat. Jubet Rector ut spondeat nullos deinceps in Lectione publica excessus committere. Nec mora, suâ manu scribit hanc cautionem:

INFRA-SCRIPTUS RECIPIO NULLOS COMMITTERE EXCESSUS IN LECTIONE MEA PUBLICA. *Lovanii* 18. *Martii* 1695. M. STEYAERT.

Sed fidem ipsi Rectori Academico tam solemniter datam non multò post fregit die 19. & 27. Aprilis, item die 6. & 13. Maii ejusdem anni, cùm iterum insolentissimè in quosdam Academicos in Lectione sua publica debacchatus est.

SPECIMEN XI.

Stejartius iteratò ob excessus à docendo suspensus; vi & malleis, contra mandatum Rectoris Academici, Scholarum portas effringit & Cathedram conscendit.

SUper novis istis excessibus iterum ipsum invasit Officium Fiscale, & iteratum hoc adversùs eum Decretum obtinuit.

Communicetur Parti (Doctori Steyaert) *ut ad contenta hujus deliberet intra triduum ab insinuatione, suspendentes interim iteratò eandem Partem ab omni exercitio Lectionum publicarum, donec à Nobis aliter fuerit ordinatum. Datum hac* 16. *Maii* 1695. Infrà habebatur, *De mandato Magnifici Dñi Rectoris*; Signatum erat *J. V. Goedenhuyse*.

Cùm interdictum hoc, non jam precibus, aut datâ cautione, sed processu illegitimo elusisset; viâ facti se in Cathedram restituit. Nam ducto secum Fabro ferrario, portas publicas, quas claudi jusserat Rector Academicus, inspectante Academiâ totâ, & Satellitio Academico obsistente, malleis effregit, aditumque sibi in Scholas Theologicas aperuit.

SPECIMEN XII.

Stejartius, dum seipsum Rectorem facit, & viâ facti, adjuvante Fabro, in Throno Rectorali se collocat, à Rege interdicitur.

SImili viâ & vi usus est die 31. Augusti 1695. Cùm enim in Rectorem Academicum electus esset Doctor Huygens, & tamquam Rector Epomide, quod Rectoris insigne est, à Rectore defungente pro more investitus, atque ad Templum S. Petri comitante Academiâ deductus: Doctor Steyaert se etiam electum esse contendens, aliunde sibi afferri jussit Epomidem, quâ & ipse se induit, eâdemque indutus post meridiem ad S. Petri venit, comitante iterum fabro ferrario, per quem jussit sibi aperiri Thronum Rectoralem, atque in eo se viâ facti collocavit; ridente totâ Academiâ, donec ipsi post dies aliquot, ne se diutius pro Rectore gereret, à Rege interdictum est.

Ab Academia Romam transeamus cum Stejartio, & quantâ humanitate Aulam illam salutet videamus.

SPECIMEN XIII.

Calumnia Stejartii in Eminentissimum S. R. Ecclesiæ Cardinalem AGUIRRIUM.

EMinentissimum ac doctissimum Cardinalem Aguirrium calumniatur in *Specimine Dispositionis* pag. 6. impudenter affirmans eum Authorem non esse eorum, *quæ in libris suis habet circa controversias modernas de Pœnitentia*, sed ab aliis eâ *inseri passum esse.*

Quâ

Quâ calumniâ non uno modo in tantum Virum peccat.

1. Detrahit illi laudem insignem, quam ex doctissimis suis de Pœnitentia *Dissertationibus* meritò apud omnes acquisiverat.

2. Adscribit illi vanæ gloriæ ambitionem, quasi ex alieno labore laudem venatus sit.

3. Redarguit illum de fide mala; quippe qui Orbi imposuerit, & Scripta aliena sub suo nomine hominibus venditârit.

SPECIMEN XIV.

Labes à Stejartio aspersa pientissimis manibus ac gratissimæ memoriæ Cardinalis BONA.

" ANno 1697. die 11. Maii cùm Præside M. Steyaert publicè in Hallis Lovanii defenderentur Theses Sabbatinæ de Virtutibus & Peccatis in genere: contra partem ex conclusione secunda dictarum Thesium assignatam, quæ sic se habet: *Quid verò de hac diffinitiuncula ex eodem Augustino, quâ virtus dicitur esse ordo amoris? Resp. Bona est suo sensu, sed valde impropria, minùsque Theologiæ communi accommodata; nec proinde adamata iis, qui magis obvia sectantur:* positum est tale argumentum ab Oppugnante: *Vestra Thesis graviter censuratur à Cardinali Bona; ergo non est admittenda.* Cùmque Defendens peteret verba Cardinalis, prælecta sunt ab Oppugnante ex Epistola præfati Cardinalis scripta ad Eximium D. Van Viane in Vigilia Pentecostes 1673. & præfixa Operi ejusdem Doctoris, quod intitulatur: *Tract. triplex De Ordine Amoris* &c. atque ita sonant: "*Dissertatio De Ordine Amoris*, (Oppugnans dicebat, *hæc virtutis definitio, Ordo amoris:* hæc enim per totam Dissertationem ubique adstruitur) *illis solis displicere poterit, qui seipsos amantes, & secundùm hominem viventes in seipsis & non in Domino gloriantur.* Ad quod argumentum cùm Defendens pauca vel nulla diceret, ipse Præses Steyaert respondit, ut sequitur: *Quantum ad ipsum Cardinalem hæc meritò animadvertuntur; quòd cùm præfatus Cardinalis Bona*

 "*misisset*

"*misisset ad quemdam Carmelitam Discalceatum, fratrem*
"*Archiepiscopi Cameracensis defuncti, quandam Epistolam,*
"*in qua partem sibi adversam graviter censurabat, Epistola*
"*hæc per imprudentiam dicti Carmelitæ hic fuerit publicata,*
"*& sic devenerit in notitiam Pontificis Clementis, qui accersi-*
"*tum præfatum Cardinalem interrogavit: Bene, Domine*
"*Cardinalis, quot sunt hic Pontifices? Et respondenti cum*
"*summa submissione* (quam D. Steyaert gestibus suis significa-
"bat) *Sanctissime Pater, tantùm unicum agnosco, reposuit:*
"*Cur ergo tu tibi jura Pontificia arrogas alios tam graviter*
"*censurando, quod soli Pontifici competit? Quæ correptio*
"*præfatum Cardinalem ita perculit, ut parum postea inci-*
"*derit in morbum ex quo etiam mortuus est, forsitan adhuc ali-*
"*quamdiu posteà victurus, si talis res ipsi non obvenisset.* Cùm-
"que Oppugnans instaret, *Ergo Cardinalis hic equidem est*
"*unus* ex illis Novatoribus, contra quos jam *agitis: cùm sitam*
"*acriter censuret vestram Thesim, steterit indubiè fortiter*
"*pro sententia opposita* (vocaverat jam parum antè D. Steyaert
"Novatores illos, quibus hæc virtutis definitio; *Ordo amoris*,
"multùm placet) reposuit D. Steyaert, pro ulteriori satisfactio-
"ne quoad istum Cardinalem videri posse Thesim proximo Sab-
"bato defendendam, quæ jam statim distribuenda erat, & con-
"tinet hoc Corollarium: *Exemplo est Author de quo agitur,*
"*non semper è libris Cardinalium, Romæ cum Approbatione*
"*solemni impressis, securè peti doctrinam Ecclesiæ Romanæ.*
"Hæc omnia quæ hic narrantur, nos (saltem in substantia) pro-
"priis auribus audivisse & prædictis Disputationibus Sabbatinis
"interfuisse infrascripti testamur

"N. N. S. T. B. F.

"N. N. S. T. B. F."

SPECI-

SPECIMEN XV.

Suspiciones nigerrimæ à Stejartio affrictæ integerrimæ Purpuræ Cardinalis CASANATE.

Epistola Martini Steyaert ad Ill.mum Sedis Apostolicæ Bruxellis Internuntium.

ILlus.me *ac R.me Domine.*

Infelix ego, cui semper nuntianda sunt infausta, nunc etiam atrocia. De Belgio agitur in puritate Religionis conservando, deque fama tuenda Viri summi, & quidem ejus, qui utriusque nostrum, Illustrissime Domine & Patrone, singularem se jam pridem patronum exhibuit. Aliquot anni sunt, ex quo in publica Congregatione Facultatis nostræ Theologicæ, ut vocant latæ, P. Magr. Le Drou nunc R.mus Episcopus Prophyriensis, nomine Eminentissimi Domini Cardinalis Casanate inquisivit, num quis haberet aliquid Operum vel Opusculorum Michaëlis Bay, desiderare illum omnia: Idem apud plures seorsim repetiit, & seriò quæcumque reperire potuit conquisivit, nemine tunc facilè conjiciente, quid vellet hæc Eminentia tam curiosâ conquisitione Operum damnatorum, & quæ Ecclesia Romana semper cupiisset suppressa, nisi fortè ut omnia novâ damnatione vel igne sub auspiciis suis abolerentur. Cùm ecce heri in manus meas incidit; postquam obscuriùs tantisper rumor præcesserat, volumen typis editum, quo Opera ista infelicia, tam edita hactenus quàm inedita Orbi prostituuntur, unà cum præfationibus, notis & glossis passim pestilentissimis; verbo vocare liceat Baianismum protervè redivivum.

Mitto Codicem quem solum, & fortè è bene affectis Ecclesiæ Romanæ solus habeo: nondum passim prostat vel in manibus est, quod ubi proximè fiet, perspicuum est quid sequi amet; præter immanem utique curiositatem & corruptionem plurimorum, SUSPICIO INSUPER ATROCISSIMA, QUOD OPUS NEQUAM NON ALITER, QUAM JUSSU, HORTATU, VEL SALTEM PERMISSU VIRI ISTIUS EMINENTISSIMI LUCEM VIDEAT: AU-

DIT HIC INIQUISSIMÆ PARTIS ISTIUS FAUTOR IN URBE PRÆCIPUUS; IPSI IMPUTATUR, UTI CONGREGATIONI S OFFICII CORYPHÆO, QUOD JAM A QUADRIENNIO VEL QUINQUENNIO NULLUS TAM INFANDUS LIBER AUT ETIAM DOCTRINA EDI POTUERIT A NOVATORIBUS, CUJUS VEL LEVISSIMA CENSURA NOVA ROMÆ VALUERIT IMPETRARI, UNDE ISTIS TANTA QUIDLIBET IMPRIMENDI AUDACIA. *Ipsum intelligunt omnes designari, dum in Libello Gallico, Difficultez proposées à M. Steyaert, jactare audent Decretum Alexandri Papæ VIII. contra 31. Propositiones Romæ tantùm non derideri à Cardinalibus N.N. Omitto cætera, nec fortasse minora, quibus ubi accesserit novi hujus libri flagrantissima invidia, quid fiet Illustrissime Domine?*

Si librum Romam misero, impensam fecero, solumque auxero cumulum tot aliorum illic frustra missorum, ridentibus adversariis oleum nostrum & operam in talibus perdi solitam. Mitto igitur eum ad Ill.mam ac R.mam Dominationem vestram, quæ fortè Bruxellis inveniet promptissima remedia. Has ego interim litteras non communico; nisi cum amicorum fidissimis: mecum omnes exspectabunt, quid opis tandem feretur pro Ecclesia, & ipsa Roma candore Belgico laborantibus: ad me quod attinet, videre pergo quorsum me nuper hostes Romam depoposcerint; ubi tam parum negotii mihi erat, ut ipse Pater Desirant, re post solidum quadriennium infectâ, etiam redire cogatur. Nempe Lovanio submovendus eram, ne novæ huic nequitiæ, aliisque forsitan secuturis utcumque invigilarem. Dum scribo renuntiatur mihi, publicè jam hìc Librum prostare apud Bibliopolam Stryckwant. Deus misereatur nostri & benedicat nobis: beatus qui non fuerit scandalizatus in istis.

Maneo non minore cum veneratione quàm fiducia, commendans rursus ex animo negotium inceptum Vicariatûs Sylvæducensis. Lovanii 11. Novembris 1696.

M. STEYAERT.

Decla-

Declaratio Authoris super præmissa Epistola.

Hanc copiam, quam nescio unde quis nactus sit, cùm nulli litteras describendas dederim, fateor ita ut hîc à me correcta & suppleta est manu propriâ, correspondêre authographo, quod apud me servo. Istis autem litteris humanissimè respondit Illustrissimus D. Internuntius, ut suggererem remedia Bruxellensia, de quibus in genere scripseram, quod ut facerem, scripsi, ad Concilia Regia recurri posse, quibus à Sua Majestate injunctum foret, ut ad querelas Prælatorum coercerent libros ejusmodi pravos. Cùm verò posteà nihil secutum est in re ista, ita à Superioribus meis testimonium veritatis rogatus testor. Lovanii Kalend. Februarii 1697.

M. Steyaert.

Testimonium Notariorum Apostolicorum super præmissa declaratione.

Ego infra-scriptus testor sup.tam Declarationem esse scriptam manu Amplissimi D. Steyaert Vicarii Apostolici Sylvad. cujus caracterem probè novi. Ita testor

Jac. Ottart Not. Apostolicus.

Idem testor

H. J. Van Susteren Protonot. A.plicus.

SPECIMEN XVI.

Steyartius in suspicionem adducit Aulam Romanam, quòd pecuniis se corrumpi passa sit ab Hennebello & prætensis Jansenistis.

Notissimus Urbi & Orbi est R. P. Joannes Baptista Franchois Jesuita per *Theses* suas *Theologicas De Deo & Religione cum Digressionibus*, in quibus insinuabat septuaginta quinque florenorum millia à prætensis Janse-

nistis

niſtis è Belgio Romam miſſa fuiſſe ad Hennebellum, quibus Aulam Romanam corrumperet.

Romam citatus fuit Jeſuita; qui diu tergiverſatus, poſt longas tandem itinerum ambages & moras in Urbem appulit. Interrogatus, quò fundamento aſſereret *conſtare*, tot aureorum millia Romam miſſa fuiſſe? Reſpondit id conſtare non à parte rei, ſed per famam publicam: Hanc ſe probare teſtimoniis D. D. Steyaert, Du Bois, Martin, Marcelis, Damen, Bouchy, Clenaerts. Lepida ſunt ſingulorum teſtimonia; ſed ea commemorare non libet. Declarant omnes paſſim fuiſſe rumorem de miſſis Hennebello 75. millibus. Addit Stejartius non tantùm de ſeptuaginta, ſed poſteà etiam de centenis actum fuiſſe, præter ſtanna Anglica, linteamina &c. D. Martin teſtabatur, Dominum N. habitantem in Collegio Viglii, dediſſe tria florenorum millia, & filias quaſdam devotas, licet tenuis fortunæ, dediſſe florenos octingentos &c.

Non memini inter teſtes Romæ productos fuiſſe Doctorem Harney: ſed is partibus ſuis non defuit in Belgio. Eſt penes nos inſtrumentum authenticum, quo Vir quidam Religioſus declarat, quòd à R. P. Harney S. T. D. audiverit, *tranſmiſſa Romam fuiſſe ſeptuaginta millia florenorum in pecuniis ad uſum Dñi Hennebel, non computando quantitatem ſtanni Anglici, nec non bonam quantitatem pretioſorum linteaminum in dona. Item declarat eumdem dixiſſe, quòd cùm quidam Cardinalis alium inviſiſſet & admiraretur pretioſas coloratas veſtes in pediſſequis alterius, dixerit alter illas donatas eſſe à Doctore Lovanienſi; indicans hoc nomine Doctorem Hennebel.*

Dicet Stejartius, ſe tantùm teſtari de rumore; non de rei veritate. Sed vel credere rumorem illum veroſimilem eſſe, ut credit is qui de eo teſtatur, atrox eſt in Aulam Romanam injuria. Vicarii certè Apoſtolici erat, rumorem iſtum tam iniquum compeſcere; aut ſaltem non efficere ſuo teſtimonio, ut apud homines, Sedi Apoſtolicæ minùs affectos, ac præcipuè Hæreticos, fidem inveniret. Quid enim hi exiſtimabunt aliud, quàm perſuadere velle ipſum

ipſum Vicarium Apoſtolicum, haberi omnia Romæ cum pretio? Præſertim ubi idem non multò poſt in *Specimine Diſpoſitionis* pag. 9. aſſerit, *Romam iſtis faviſſe ad invidiam: omnia ipſis contraria paſſim proſcripſiſſe; nihil penè quod ipſorum eſſet aut putaretur: Quos ipſi voluerant, ad Urbem graviſſimo imperio evocatos eſſe: Brevia quædam & Decreta obtinuiſſe:* pretio utique ſeptuaginta quinque millium florenorum, ſtanni Anglici, pretioſorum linteaminum &c.

Ita ad enervanda Brevia & Decreta Apoſtolica, quæ non favebant Stejartio, ipſam Sedis Apoſtolicæ Authoritatem enervat.

SPECIMEN XVII.

Stejartii in Sedem Apoſtolicam frequens inobedientia ac rebellio.

PRima fuit adversùs Breve Apoſtolicum SS. D.N. Innocentii XII. editum 6. Februarii 1694. in quo rejiciuntur *Additiones* Mechlinienſis Archi-Epiſcopi. Mox enim Programma edidit, quo tamquam Vicarius Apoſtolicus ſenſum Brevis ad ſenſum *Additionum* detorquet, & juxta has juramentum in Formularium Alexandri VII. præſcribit. Verùm non multò poſt juſſus eſt à Sede Apoſtolica Programma ſuum ſupprimere.

At non diu ſe continuit. Die 25. Junii 1695. Theſi publicâ violavit Decretum ejuſdem Sanctiſſimi editum 28. Januarii 1694. palam gloriatus, *Epiſcopos Belgii admittere non debere in juramento Formularii Alexandri VII. has voculas:* AD MENTEN MODERNI PONTIFICIS, *vel etiam* BREVIS APOSTOLICI, non obſcurè ſignificans, jurandum eſſe ad ſenſum ſui Progammatis & *Additionum.* Quam Theſim rurſus ſolemni Decreto condemnavit Sua Sanctitas 7. Septembris 1695. *Ob* CONTRAVENTIONEM *ſilentii à Sanctiſſimo impoſiti.*

Verùm neque ſic ſiluit. Die 19. Julii 1696. ſubſcripſit litteris ad S. Sanctitatem, quibus querebantur Epiſcopi

Belgii, per Breve Apostolicum datum 6. Februarii 1694. satis consultum non esse malis Jansenismi: cùmque iis per Breve illud satis consultum fuisse respondisset Sua Sanctitas Brevi altero dato 24. Novembris ejusdem anni: Non acquievit; sed cum iisdem Belgii Episcopis die 22. Aprilis 1697. edidit *Decretum circa usum Formularii*, quo iterum manifestè Programmatis sui & *Additionum* sensum contra sensum Brevis Apostolici restaurat, & silentium à Sanctissimo Domino impositum de novo infringit.

Addidit & alia inobedientiæ & rebellionis suæ specimina.

Die 2. Martii 1695. folium, quod *Repetitionem* vocat, ediderat, ubi inter cætera promulgabat, *Quòd revocato jam Deputato Episcoporum Belgii, qui Romæ urgebat controversiarum decisionem, non ampliùs expectaretur talis decisio* &c. Ignorare non poterat, vehementer hæc Romæ displicuisse, & tamen Kal. Novembris 1696. similia iterum ausus est in *Præfatione*, ut vocat, *Approbatoria*, quam Tractatui *De Operibus pœnalibus* præfixit: *Jam vix*, inquit, *ullus audet tam propinquam sperare hanc decisionem, crediturque fieri posse, ut quadriennio, quod jam in discussione Romana exactum est, anni fortè plusculi adhuc accedant priusquam Sedes Apostolica huic negotio finem imponat.* Insigniter super hac temeritate corripi jussus est die 1. Decembris sequentis, & ne rebus Romanis deinceps se miscere auderet, moneri. An correptionem is, cui ea mandata erat, executus fuerit, ipse novit: Fortè illi hanc in memoriam revocare poterit Doctor Harney. Nos rumore non dubio didicimus, quòd acerbè ea Virum delicatum pupugerit, atque ita afflixerit, ut quamlibet satisfactionem, imò & recantationem, si opus videretur, offerret.

Sed vix pœnitentiam egerat, cùm relapsus est, & libello, *Doctrina & Praxis S. Caroli Borromæi* CENSURAM *Præfatione Approbatoriâ* multò deteriorem præmisit. Vix ea Romæ cum indignatione Urbis visa fuerat, cùm die 10. Februarii 1697. adjecit PROVOCATIONEM MANIFESTAM,

Opus

Opus facilè princeps inter *Opera Justa Molis* quæ potuit umquam Auctoris ira evomere. Nihil minùs expectabat is, cui non multò antè tam bella ac speciosa promissa fecerat; corripi eum & de scandalo tollendo moneri jubet; opem implorat Rectoris Academici, qui mox pro munere suo infame Opus suppressit: tandem suscepit amicus Doctori Steyaert addictissimus, seriò illi denuntiare, ut aliam agendi rationem iniret, nisi in se vellet Sedis Apostolicæ & bonorum omnium indignationem commovere.

Intereà aliud *Justa Molis Opus* ejusdem Auctoris Urbi innotuit, *Epistola ad Ministrum Apostolicum* suprà relata, ubi temeritate plusquam Stejartianâ Virum quemdam Eminentissimum de curata *Operum Baii* nova Editione accusat. Tum demum gravius aliquid in ipsum decretum fuisset, nisi pœnam deprecati fuissent illi ipsi, qui eam poscere debuerant.

Eodem anno 15. Junii moneri ex Urbe jussus est super Thesi quam defenderat 18. Maii, ubi videbatur Eminentissimis insultare. Spopondit se id facturum is, cui id negotii committebatur; sed frustra se facturum existimabat. Hominem illum equidem, quoties moneretur, mira spondere; sed nihil minus præstare posteà: aliis proinde cum eo remediis opus esse.

Rursus 10. Aug ejusdem anni denuntiari ei ex Urbe jussum est: summoperè displicuisse ipsius *Epistolam ad Doctorem Huygens* editam XII. Kal. Julii; falsa plura in ea contineri; ferri ægerrimè, quòd sæpius talia tam leviter effutiat; priùs jam illum de his commonitum fuisse, sed sine fructu; alia deinceps adversùs eum remedia, ut sapere discat, cogitari &c.

Quid post hæc omnia? Sapuit? Numquam desipuit magis. Nam post tot Sedis Apostolicæ correptiones, post emendationem toties promissam, homo tot beneficiis à Sede Apostolica cumulatus, *Specimen* edidit *Dispositionis*, ubi stultissimè adversùs Sedem Apostolicam insaniit. Sed hæc insania novo specimine exhibenda est.

SPECIMEN XVIII.

Stejartii in Sedem Apostolicam contumeliæ, minæ, insaniæ.

NIl dici potest in Sedem Apostolicam contumeliosius, quàm quòd favore & studio partium causas judicet, libros proscribat, Brevia & Decreta condat. Atqui hæc ipsi exprobrat Stejartius: *Nimirum*, inquit, *faveat istis Roma ad invidiam: Omnia ipsis contraria passim proscriserat; nihil penè quod ipsorum esset aut putaretur: Quos ipsi soluerant, ad Urbem gravissimo imperio evocati erant: Brevia quadam, ut vocant, & Decreta obtinuerant* &c. In *Specimine Dispositionis* pag. 9.

Addit minas terribiles, & dum illi non favet Roma, ipse se causam suam domi decisurum relictâ Româ denuntiat: *Quid igitur*, inquit, *manum tollemus de tabula? Planè..... Alia est medicina domestica, & non tam procul repetenda; quæ utinam ab initio fuisset adhibita! Neque nos tantum laboris & impensæ, neque Roma ipsa tantum molestiæ pertulisset... Ad principium redeundum est, unde non sine errore digressio facta fuit.* Ibidem pag. 13.

Tandem concludit votis insanis, quibus iterum minas immiscet: *Quod si fata Deûm, si mens non læva fuisset, quot summis, quot laboribus & turbis parcitum non erat hac tam facilitatione... planè adhuc ea via aperta est, magna utique & evidens.* Et hæc Vicarius Apostolicus in Sedem Apostolicam. Liceat nobis hìc uti verbis, quibus ipse in eodem *Specimine* immeritò utitur in Belgas Theologos: "Nequitia & *superbia eorum qui te oderunt*; Sedes Roma Petri; *ascendit semper*, etiam te retribuente pro odio gratiam & indulgentiam." Pag. 12. Nisi fortè ultra hæc, quò ascendat, invenire amplius non possit Stejartius.

SPECIMEN XIX.

Stejartii in Ministros Regios & Regem injuria.

FRustrà expectas, ut parcat Regi; qui Summo Pontifici non paret. Causas in Consilio Brabantiæ habuit Stejartius; sed numquam bonas. Hinc semper illi aut cum

dedo-

dedecore componendum, aut cadendum. Vellet tamen Ministris Regiis persuadere, causas suas justas esse: Quod dum non potest, apertè illos injustitiæ accusat, ausus aliquando nonnulli ex ipsis exprobrare in faciem, *Sperandam non esse à Consilio Brabantiæ justitiæ administrationem.* Hæc verbo

Sed scripto ipsa jura Regia, jure Divino & humano stabilita, invasit. In *Appendice* ad Wiggers, & rursus in Thesi defensa 3. Junii 1698. hanc De Vectigalibus doctrinam palam tradit: *Si quis de iis tantum substraxerit, quantum bonâ fide existimat se plus æquo supra sui similes gravandum, si totum solveret, putamus non peccaturum ejusmodi, neque ad restitutionem obligandum.*

Thesim hanc Supremus Brabantiæ Senatus tamquam *scandalosam, & obsequio Suæ Majestatis, ejusque Statibus ac Publico perniciosam* proscripsit die 11. Julii 1698.

Neque proscripsit tantùm, sed & solemne proscriptionis Decretum, in quo Doctoris Steyart nomen expressum erat, per omnes Brabantiæ Civitates palam affigi jussit; admirantibus omnibus Divinam justitiam, quâ vindicante is, qui in tot innocentûm famam apud Regem & Pontificem toties tot calumniis palam grassatus fuerat, nunc per ipsum Regem coram Orbe toto infamiâ publicâ notabatur.

Neque hic stetit Senatus Brabantiæ, sed insuper eum citavit, ut vel coram ipso Senatu, vel coram Procuratore Generali personaliter (quod non nisi ex gravissimis causis & cum infamia fit) personaliter, inquam, seu PEDE LIGATO, ut aiunt Practici, responderet. Quo reatu in hunc usque diem nondum solutus est.

SPECIMEN XX.

Stejartii à via antiqua & arcta Evangelii ad viam novam & latam aberratio.

TRibus hoc Specimen exemplis confirmabo; sed adeò illustribus, ut nemo deinceps dubitaturus sit, quin Novator & Laxo sit Stejartius. Atque en tibi primum.

Angusta porta (Luc. 13. v. 24.) *est porta Religionis Christianæ, etiam quatenus à vulgo Fidelium* (*ne ad nescio quos rigores restrictio fiat*) *observatur.* In Thesi defensa 26. Julii 1695.

Quid poterat directius Evangelio opponi? Interrogabat Christum quidam: *Domine, si pauci sunt qui salvantur?* CHRISTUS *autem dixit ad illos: Contendite* &c.

STEJARTIUS verò: Sufficit si observetis Religionem Christianam, sicut ea *observatur à vulgo Fidelium*; adeòque non est quod *contendatis*. Vulgus enim Fidelium non contendit.

Dixit CHRISTUS: *Contendite intrare per angustam portam.*

STEJARTIUS: Satis est si intretis per eam, per quam intrat vulgus Fidelium, quæ adeò angusta non est.

Dixit CHRISTUS: *Quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Multi* utique ex Fidelibus: nam hi soli dici possunt *quærere*.

Ego verò, inquit STEJARTIUS, dico vobis: Quia intrabit vulgus Fidelium, adeóque multi; etiamsi (ut vulgus Fidelium solet) intrare vehementer non quærant.

Dixit iterum CHRISTUS Matt. 7. *Intrate per angustam portam.*

STEJARTIUS: Intrate per portam, per quam intrat vulgus Fidelium.

CHRISTUS: *Lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Ibidem.

STEJARTIUS: Etsi lata & spatiosa sit, non tamen per eam intrat vulgus Fidelium, adeóque nec multi.

CHRISTUS: *Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Ibidem.

STEJARTIUS: Inveniunt eam omnes, qui Religionem Christianam observant; ut ea observatur à vulgo Fidelium; ac proinde non inveniunt eam pauci.

Quid etiam dicere potuisset directius contra unanimem consensum Patrum? Apud hos enim tam constans doctrina est, paucos ex Fidelibus salvari & angustam portam intrare, ut Estius in lib. 1. Sent. Dist. 41. post varios Patres

tres allegatos pronuntiet: NEC OMNINÒ QUISQUAM PATRUM INVENITUR, QUI DIVERSUM SCRIPSERIT.

Quid tandem dici poterat laxius? Nam hoc principio limites omnes, à Christo, ab Apostolis, à Patribus fixi evertuntur. Si enim sufficiat Religionem Christianam observare, ut eam observat vulgus Fidelium; jam non ampliùs quid veritas, quid Christus, quid Apostoli, quid Patres jubeant, quærendum erit; sed sufficiet intueri normam, quam tenet vulgus Fidelium, & juxta illam vitam instituere; adeoque & illam pro regula habere.

Alterum est, doctrina quæ sequitur:

Per se atque ut communiter fit, ebrietas est gravior fornicatione. Doctor Steyaert in *Declaratione* ad Art. 8. inter Articulos oblatos.

Atqui, subsument passim omnes, *Ebrietas per se atque ut communiter fit* (ob delectationem scilicet potûs) adeò gravis non est: Ergo &c.

Quæ hinc formidanda non est Reipublicæ & Ecclesiæ pernicies? Ponderavit eam utcumque Opstratius in EXHIBITIONE DOCTRINÆ &c. Art. 4. sed satis ponderari non potest. "Videmus, inquit, nunc gregatim combibones "tabernas frequentare, & inebriari ferè quotidie solâ potûs dulcedine pellectos: quid ab his expectandum putes, ubi intellexerint ebrietate leviorem esse fornicationem; nisi ut tabernas vertant in lupanaria?... Neque difficile ipsis erit, honestas alioquin virgines & matronas... in libidinis suæ consensum pertrahere; si modò ipsis persuaserint, ne ebrietati quidem fornicationem æquiparari. Porrò cùm fornicatione multò leviores sint cogitationes morosæ, aspectus, tactus, oscula, & familiarior cum altero sexu conversatio; quid metuas, nisi ut deinceps ferè sine scrupulo uterque sexus turpiter illis indulgere incipiat? Horreo cogitare, quòd dogma istud palam verbo & scripto promulgatum sit coram Academicis... Non immeritò ego metuendum puto, ne plures Adolescentes Academici, qui cupidita-

 "tem

"tem tabernas frequentandi ac potandi hactenus vicerunt, audito hoc dogmate, vincantur à cupiditate frequentandi loca inhonestiora, & dum alii se potu inebriant, ipsi, scilicet minùs Rei, detestabili crimine corpus & animam commaculent. At quid de tot Theologiæ Alumnis, Clericis, Sacerdotibus, qui dogma istud ab ore Steyaert exceperunt, tantò fortassè avidiùs, quantò suaviùs carni blanditur? Quàm vereor ne & ex his plures infeliciter jam lapsi sint, & lapsuri deinceps, ubi extra Academiam libertati suæ redditi, & plura castitatis pericula invenient, & illecebras fortiores, & faciliorem explendæ libidinis opportunitatem. Quæ verò animarum strages ab illis metuenda, dum se Confessionibus, tum virorum tum mulierum, excipiendis dare cœperint, aut ad curam Pastoralem pervenerint? Ubi prætextu officii adimplendi agere poterunt negotium impuritatis, & hoc solùm dogmate proposito, additâ Doctoris Stejartii auctoritate, animas instabiles ad facinoris illius consensum pellicere? Væ autem Ecclesiis illis, quarum cura Directoribus hujusmodi committitur. Ubi enim semel in Parochia innotuerit, à Pastore ipso fornicationem ebrietate leviorem haberi; quis non metuat, ne obscœnitatibus & fornicationibus impleantur omnia, quin & ipse in criminis illius suspicionem veniat? Præsertim, si potui addictior sit, aut visus nonnumquam bibisse liberaliùs, aut minùs circumspecta ipsi sit cum ancilla aut aliis mulieribus conversatio. Fateor hæc & hujusmodi me sine horrore cogitare non posse." Hæc Opstratius. Addo ego, nec sine lachrymis videre, castissimos hactenus Scholæ Lovaniensis parietes dogmate tam fœdo conspurcari.

Tertium est non minùs castis auribus abominandum de Sacerdote lapso: *Sacerdos aliàs bonæ vitæ, per extraordinariam tentationem eâdem nocte in fornicationem lapsus, absolvi, mitti ad Altare, & celebrare potest manè, si aliàs plebs die Dominicâ Sacro frustranda foret.* Vide *Declarationes* Doctoris

ctoris Steyaert ad *Art.* 31. & seqq. inter *Articulos Oblatos.*

Scilicet parum erat fornicationis horrorem abstulisse laicis; nisi & auferretur Sacerdotibus, & quidem manè celebraturis. Cùm enim hos posset differendæ saltem absolutionis timor à crimine isto compescere; planè non intelligo, cur hunc etiam voluerit removere.

Et quid, quòd Sacerdoti non semel tantùm in mortalia lapso sed & in eadem relapso sæpius, vetet simili casu absolutionem differri? *Non est*, inquit, *differenda absolutio Sacerdoti, qui in eadem peccata mortalia sæpius relapsus est, si obligetur ad celebrandum, puta si sit Parochus, & nisi celebret, Parochiani non poterunt interesse Sacro die festo.* In *Aphorismis* De Pœnit. §. 16. n. 4. Ubi jam non de Sacerdote, *aliàs bonæ vitæ*, aut de lapso *per extraordinariam tentationem*; sed de aliis etiam loqui videtur, ut patebit *Aphorismos* loco citato inspicienti.

Quis credidisset ad hæc tam nova & tam laxa delabi potuisse Stejartium; tam aliquando veritatis avitæ & rigoris Evangelici amantem? Sed hoc admiranti dicebat nuper Vir quidam Sapientissimus: STEYAERT DESERUIT VERITATEM, ET A VERITATE DESERTUS EST. *Revelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem in injustitia detinent..... Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Rom. 1. Absit tamen ut ullum crimen ex iis, quæ illic commemorat Apostolus, adscribam Stejartio: solas tenebras intellectûs, quas ipse foris per dogmata tam tenebrosa prodit, verbis Apostoli describo.

S U P P L E X
Ad utramque Mundi Potestatem

CONCLUSIO.

ET nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Fidem Theologorum Belgarum adversùs Mendacium Novum, quod illis impegerat Stejartius, vindicavi: Mendacii Impactorem fide omni indignum esse ostendi. Reus est calumniarum circiter quadraginta in Huygenium, ejusque Adhærentes & Confœderatos: Reus calumniarum in Patres Oratorii Montensis: Reus calumniarum in Clerum Diœcesis Mechliniensis: Reus calumniarum in Viros integerrimos, nominatim expressos in *Jansenismo*: Reus calumniarum in Theologos Lovanienses, quos in Thesibus & Lectionibus vexat quotidiè: Reus calumniarum in Opstratium, aliosque, ac recentissimè in Doctorem Renardi, quos persequitur: Reus falsorum testimoniorum, quibus Theologos Potatores, Fumatores, & Lusores, tamquam probos moribus, ad S.S. Ordines & Curam Animarum promovit: Reus negati testimonii & motæ persecutionis in eos, qui præ cæteris modesti erant, & officio suo ac pietati addicti: Reus turbarum per annos plures excitatarum in Academia Lovaniensi; Reus excessuum enormium in docendo: Reus spretæ Magnificentiæ Rectoralis super excessibus eum admonentis: Reus fractæ fidei, Rectori Magnifico propriâ manu datæ: Reus novorum excessuum, ob quos iteratò ei docere interdictum fuit: Reus attentati contra Interdictum, & Portæ Scholarum publicarum vi & malleis effractæ: Reus assumpti sibi honoris & Insignis Rectoris Magnifici, ejusdemque Throni viâ facti per Fabrum ferrarium sibi aperti & conscensi: Reus calumniæ in Eminentissimum S. R. E. Cardinalem Aguirrium: Reus labis aspersæ nomini ac memoriæ pientissimi Cardinalis Bona: Reus suspicio-

num

num nigerrimarum, quas affixit purpuræ Cardinalis CASANATE: Reus rumoris sparsi de Aula Romana, quasi pecuniis & muneribus corrupta foret per Hennebellum: Reus crebræ in Sedem Apostolicam inobedientiæ ac rebellionis: Reus contumeliæ, minarum, insaniæ in eandem: Reus injuriæ in ministros Regios, & Juris Regii violati: Reus, *pede ligato*, cum infamia citatus: Reus novorum & laxorum dogmatum, quæ ipsa Moralis & vitæ Christianæ fundamenta ac sanctitatem evertunt.

Post hæc omnia finite ut dicamus, Sapientissimi Principes, mirari Orbem universum, quî fieri possit ut homo ejusmodi tantam apud utramque Potestatem auctoritatem & fidem obtineat. Non hanc illi invidemus; sed an nobis saltem concedi non debeant tria hæc, quæ humillimè supplicamus, pro Vestra Sapientia judicate.

1. Ut Accusator noster, qui hactenus, etsi sæpius provocatus, ne unam quidem è tot calumniis probavit, condemnetur tamquam infamis, pœnâ talionis plectendus, & ad accusandum non admittendus ampliùs, juxta hos Canones:

Si quis circa hujusmodi personas non probanda detulerit; authoritate hujus Sanctionis intelligat se jacturam infamiæ sustinere, ut damno pudoris & existimationis dispendio discat, sibi aliena verecundia impunè insidiari saltem de cætero non licere. 2. q. 3. c. 1.

Calumniator, si in accusatione defecerit, talionem recipiat. Ibid. c. 2.

Placuit, ut quotiescumque Clericis ab Accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex his, de quibus priùs egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur. 4. q. 10. c. 1.

Nisi enim in usum reducantur hi Canones, numquam in famam innocentûm grassari desinet calumniandi libido, quæ se impunè grassari posse intellexerit.

2. Quòd si pœnam in Accusatorem decernere Clementiæ,

tiæ Vestræ, Supremi Orbis Principes, nondum visum sit; hoc saltem enixissimè rogamus, ut nulla ipsi super accusationibus fides adhibeatur, donec apertâ nobis viâ justitiæ, & dato defensionis loco, constiterit legitimè, an ipse tot calumniarum, an nos tot criminum Rei simus.

3. Ut juxta Breve Apostolicum datum à Sanctissimo D. N. Innocentio XII. 6. Februarii 1694. atque à Rege nostro Catholico executioni in Belgio mandari jussum, non habeamur ut Rei & ab officiis ac muniis omnibus excludendi, *nisi priùs eam pœnam, quæ Viris certè Catholicis gravissima est, nos commeruisse, servato juris ordine, probatum fuerit.*

Enimverò si ob solas accusationes quis Reus sit & excludendus; jam multò minùs Rei aut excludendi sumus nos, quàm Stejartius; idque non uno ex capite. I. Quòd dogmata aut facta plurima, de quibus ipse accusat nos, nostra esse negemus, paratique simus ostendere ea nobis per calumniam affingi: Ipse verò facta, de quibus nos accusamus ipsum (puta Accusationem 42. Articulorum, Accusationem quam intentat in Epistola Pastorali, in suis Thesibus &c. item dogmata, de quibus suprà Specimine XX.) sua esse nec neget, nec negare possit. II. Quòd si de facto aut dogmate aliquo tamquam nimis rigido accuset nos, quod nostrum esse agnoscimus, illud minimè comparari possit tot factis calumniosis & dogmatibus laxis, quorum vel unum (puta de *porta angusta* aut *fornicatione*) pernicie suâ vincit rigores omnes, quos nos tenemus; etsi reverà (quod non existimamus) excessûs aliquid in iis contineretur. III. Quòd multò magis de novitate accusetur à nobis ipse, quàm ipse de novitate accusare possit nos. Ubi enim, non dico in Sacris Litteris aut Sanctis Patribus, sed vel in laxissimis Casuistis umquam auditum est, *Portam angustam, de qua in Evangelio, esse portam Religionis Christianæ, prout ea à vulgo Fidelium observatur?* Ubi tandem cogitatum, *Ebrietatem per se & ut communiter fit, fornicatione*

tione esse graviorem? Atqui hoc tandem cogitavit Stejartius.

IV. Quòd si fortè dogma aliquod nimis rigidum aut novum ignorantes teneamus, jam inde subjiciamus omnia judicio Sedis Apostolicæ, ergaquam jam antè sæpius sinceram nostram submissionem reipsâ probavimus: Ipse verò, qui non minùs quàm nos errare potest, debitam Sedi Apostolicæ reverentiam ac obdientiam non semel violaverit; ac proinde meritò timeri possit, ne si doctrinam ipsius Roma damnet, pecuniis aut nummis damnationem obtentam esse dicat, aut de studio partium & *favore ad invidiam* Romam accuset.

HEM LECTOR.

Penè exciderat. Questus est nuper in Scholis publicis Stejartius, se à *Belgis Theologis*, absque titulis *Stejartium* vel *Doctorem Steyaert* appellari. Protestamur, id non contemptûs, sed brevitatis gratiâ à nobis factum; quemadmodùm ubique compellamus *Huygenium*, *Hennebellum*, *Doctorem Huygens*, *Doctorem Hennebel*, relicto titulo, *Eximius*. Tamen ut omnis querelæ ansa tolatur, declaramus coràm omnibus, velle nos, ut ubicumque nomen *Stejartii* vel *Doctoris Steyaert* posuimus aut posituri sumus deinceps, subintelligantur tituli omnes, quos ipse sibi tribuit & insculpi jussit monumento, quod sibi nuper Lovanii in Templo Divi Petri, loco ante Chorum principalem amplissimo, erexit. Ubi etsi tituli isti omnibus, qui Lovanii morantur, conspicui sint; tamen ut & exteri eos legant, ipsum lapidem sepulchralem titulis suis gravem hìc exhibemus.

D. O. M.

MARTINUS STEYAERT

SOMERGHEMIUS,

S. Th. DOCTOR & PROF. REGIUS,

COLLEGII MAJORIS THEOL. PRÆSES,

VICARIUS GENERALIS

APOSTOLICUS

DIOECESIS SYLVÆDUCENSIS,

HUJUS ECCLESIÆ CANONICUS

ET DECANUS.

PRIVILEGIORUM ACAD. CONSERVATOR

HUNC LAPIDEM

RENOVATI PAVIMENTI PRIMUM,

Sibi ſupremus ut eſſet,

POSUIT.

Anno Dom. ƆIƆ IƆC XCIX.

ÆTATIS LIII.



Obiit

Requieſcat in pace.